

inter se realiter et physice distinctae neque esse neque fieri possunt, si ratio entis physice est una.

*Prob. min.*: Nisi res realiter et physice inter se distinctae existerent, non posset esse in rerum natura nisi una substantia, neque ullum accidens reale esset; secus enim ratio entis, si in pluribus substantiis, sive in substantiis et accidentibus realiter distinctis invenitur, non iam esset physice una, sed ad summum similis in pluribus, ut nos affirmamus. *Atqui* certe existunt tum plures substantiae realiter distinctae, tum accidentia realia inter se et a substantiis, quibus inhaerent, physice distincta. Immo forte praeter Eleaticos et Hegel ne pantheistae quidem vel plures substantias vel saltem accidentia realia in una substantia esse negabant.<sup>1)</sup> Deinde, teste experientia externa et interna, multae res realiter fiunt, quae nondum fuerunt; neque est sola apparentia vana, ut Eleatici putabant, neque purus processus dialecticus, sicut Hegel statuit. *Ergo* absurdum est, rerum pluralitatem physicam non admittere.

*Thesis III*: Conceptus „entis ut sic“ neque metaphysice est perfecte unus.

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Unitas metaphysica in eo est, ut realitates in se quidem identicae, ratione tamen distinguantur, ita ut distinctio habeat fundamentum perfectum in re ipsa. Fundamentum perfectum adest, si conceptus, qui eandem rem sub diversa ratione obiectiva exhibent, formaliter sunt distincti, i. e. se invicem ne implicite quidem includunt, ita ut rationes obiectivae conceptibus expressae possint una sine altera in rerum natura existere et ab invicem negari, e. g. animalitas et rationalitas in homine. Distinctioni metaphysicae correspondet compositio metaphysica, quae in eo est, ut realitates, praecisione mentis perfecte et adaequate formaliter distinctae, unam realitatem metaphysicam constituent; sic animalitas et rationalitas constituunt unam naturam humanam. Conceptus, qui eiusmodi naturam perfecte praecisam exprimunt, vocantur univoci (eindeutig, quia eandem rationem obiectivam etiam eodem modo in singulis inferioribus inesse significant. Unde in thesi affirmatur, conceptum entis non esse univocum.

2<sup>o</sup> Thesis non loquitur nisi de conceptu entis reflexo, i. e. de contractione entis ad suprema genera vel etiam ad genera inferiora, ad species et individua *immediata* contractione: ens a se et ens ab alio; ens per se et ens in alio; suprema genera accidentium. Ratio est, quia ens, iam *constitutum* in supremis vel etiam inferioribus

<sup>1)</sup> Sic Stoici Deum tanquam animam mundi a materia eius distinctam statuebant ad modum animae corpus informantis; similiter Neoplatonici, Spinoza, Schelling, Schopenhauer, E. v. Hartmann, Paulsen absolutum saltem accidentibus rerum ornatum putant, sicut spiritus suis actibus.

generibus ac proinde cum ipsis identificatum, eodem modo, quo illa, i. e. univoce de inferioribus vel generibus vel speciebus et individuis praedicatur.

3<sup>o</sup> Thesis refutat aequo modo tum pantheistas, omnia ex eodem principio spirituali derivantes, tum materialistas, praesertim atomisticos, omnia ex uno principio materiali explicantes, quare rerum omnium intimam naturam prorsus eandem esse statuunt, ita ut omnis praedicatio, si quae possibilis esset, deberet esse univoca vel nulla, si quidem a parte rei conceptibus universalibus nihil responderet.

*Prob. A. In genere*: 1. *Ex natura „entis ut sic“*: „Ens ut sic“ nil exprimit nisi rationem essendi maxime universalem, quae, ut ex thesi I patet, omnibus rebus, quae sunt vel esse possunt extra nihil, est communis. *Atqui* conceptus metaphysice unus sive univocus constat ex diversis partibus metaphysicis, quae, licet realiter sint idem, formaliter tamen sunt tam diversae, ut se non includant, immo ut una sine altera existere eamque excludere possit; nullus autem conceptus, nulla ratio formalis potest excludere rationem entis vel esse sine illa. *Ergo* conceptus entis non est metaphysice unus.

2. *Ex natura compositionis metaphysicae*: Conceptus, qui metaphysica compositione orti sunt, ita se habent, ut a) differentia generica vel specifica vel individualis sit formaliter perfecte et adaequate extra genus vel speciem; b) ut in plures notas adaequate distinctas iterum resolvi possint. *Atqui* ad rationem entis nulla potest accedere differentia vel modus contrahens, qui non iam implicite saltem includatur in notione entis, neque ullus conceptus potest sic resolvi, ut aliqua nota adaequate formaliter, i. e. explicite et implicite excludat rationem entis. *Ergo* conceptus entis non est metaphysice unus i. e. univocus.

B. *In specie probatur*: 1. Quoad ens a se (Deus) et ens ab alio (creatura); ens in (per) se (substantia) et ens in alio (accidens): a) *ratione entis et modi contrahentis*: Si „ens ut sic“ se haberet ad ens a se et ens ab alio, porro ad ens in se et in alio, sicut genus ad species suas, sive si illud „a se“ = aseitas et „ab alio“ = aleitas, illud per se = perseitas et in alio = inaleitas essent differentiae genericae proprie dictae, ita ut ens transcendente ad novum gradum metaphysicum intrinsecus determinarent, modi aseitatis et aleitatis, perseitatis et inaleitatis aut aliquid realitatis adderent ad rationem entis, quod neque explicite neque implicite in illa esset, aut non adderent quidquam. Si nihil addunt, neque possunt ens contrahere, neque novum gradum metaphysicum constituere; si quid addunt, hoc rationem entis iam necessario includit, et eadem quaestio in infinitum rediret. *Ergo* „ens ut sic“ non constituit genus proprie dictum, i. e. non est conceptus metaphysice unus.

b) *Ex paritate*: Si ens esset gradus metaphysicus distinctus a supremis generibus, deberet se habere ad modos suos (a se et ab alio, in se et in alio), sicut e. g. substantia se habet ad differentias suas: corporea et spiritualis. *Atqui* non ita se habet; nam „corporeum“ dicit formaliter multipliciter, spirituale autem independentiam a materia ac proinde simplicitatem; utraque vero differentia integram relinquit rationem substantiae, eamque nullo modo includit. Modi autem entis includunt illud semper, saltem implicite. *Ergo* conceptus entis non est metaphysice unus, neque univocus.

2. *Quoad suprema genera accidentis*:

a) Si suprema genera accidentis, e. g. quantum, quale etc. constituerent novum gradum metaphysicum distinctum a ratione entis, deberent aliquid addere realitatis, quod in ipsa nullo modo continetur, et si ille novus gradus resolveretur, deberent duo gradus metaphysici inde enasci adaequate inter se distincti. *Atqui* omne accidens supponit rationem entis, neque potest ullum genus accidentis a ratione entis perfecte praescindi. *Ergo* neque suprema genera accidentis constituunt cum ratione entis novum gradum metaphysicum.

b) Ens et ens in alio constituunt unum eundemque gradum metaphysicum, ut ex argum. B. apparet. *Atqui* ens in alio constituit etiam cum ente quali, quanto etc. non nisi unum gradum metaphysicum; nam modus determinans „quale“ etc. semper includit implicite saltem ens in alio, neque quidquam realitatis superaddit, quod non sit ens in alio. *Ergo* „ens ut sic“ constituit cum supremis generibus accidentis unum gradum metaphysicum.

3. *Ex absurdis*: Si ratio entis metaphysice esset una in inferioribus, aut existeret aliud genus entis praeter illam rationem transcendentalem, aut omnia realiter essent identica. *Atqui* utrumque repugnat. *Ergo* ratio entis non est metaphysice una.

*Prob. maior.*: Metaphysica unitas in eo est, ut partes ratione distinctae se nullo modo includant, ita ut una sine alia esse possit in rerum natura. Si igitur ratio entis in inferioribus (ens a se et ab alio, per se et in alio etc.) est metaphysice una, i. e. perfecte distincta a modis contrahentibus, modi illi: a se et ab alio, per se et in alio, aut essent realitates, quae possent esse sine ratione entis, sicut animalitas non est idem ac rationalitas et potest esse sine illa; ac proinde haberent in se aliam rationem entis diversi omnino generis; aut non essent ulla realitas, ac proinde cum ratione entis prorsus identicae essent.

*Prob. minor.*: Primum repugnat, existere aliam rationem entis diversae naturae a ratione entis communis. Nam illa alia ratio entis aut esset vere et formaliter ens, i. e. nihilo oppositum, aut non.

Si primum, non esset distinctum a ratione entis communis; sin alterum, non esset vere et formaliter ens, ac proinde esset nihil.

Deinde repugnat, illas differentias vel modos, quibus ens ad inferiora contrahitur, esse cum ipso identicos; nam tunc contradictio in ipso ente inveniretur: esset enim simul existens et non existens, a se et ab alio, per se et in alio; esset simul angelus et lapis, spiritus et materia, triangulus et circulus, finitum et infinitum, necessarium et contingens, praeteritum, praesens et futurum, bonum et malum etc. Quae omnia absurda sunt, nam tunc: a) mundus universus ille adspectabilis, quidquid extra et intra nos percipimus, esset mera illusio; immo neque haec illusio, unde esset et quomodo esse posset, explicaretur; quare Eleates, omnia unum esse docentes, rerum apparentias vanas habebant ac puras illusiones, practice autem in physica admittebant, sibi ipsi repugnantes; b) principium contradictionis destrueretur; unde Hegel revera hoc principium negavit, saltem in cognitione speculativa, statuens identitatem absolutam oppositorum.<sup>1)</sup> Sed tunc nulla iam cognitio certa esse potest negato principio illo, neque quidquam affirmari aut negari. *Ergo* ratio entis non est metaphysice una.)

*Thesis IV: Conceptus entis transcendentalis est logice unus.*

1. *Per exclusionem*: Ostendimus in thesi I, conceptum entis esse obiective unum. *Atqui* in thesi II. probavimus, hanc unitatem non esse physicam, in III. autem, non esse metaphysicam. *Ergo* non restat, nisi ut sit saltem logice una.

2. *Ex natura unitatis logicae*: Unitas logica adest, quando notae conceptum constituentes sunt [quidem] formaliter distinctae, sed non perfecte et adaequate se excludunt, neque una sine altera esse vel perfecte cogitari potest. *Atqui* ens, quando contrahitur ad suprema genera seu inferiora sua constituenda, a modis contrahentibus a) formaliter quidem distinguitur, quia conceptus „entis ut sic“ abstrahit ab aseitate, aleitate, perseitate etc.; est enim conceptus simplicissimus, neque formaliter exprimit nisi esse extra nihil; b) non autem perfecte et adaequate a modis contrahentibus distinguitur, quia in omnibus latet conceptus entis implicite, neque potest quidquam esse vel cogitari sine illa ratione entis. *Ergo* conceptus entis est logice unus.

(*Coroll.* Notio entis potest igitur considerari tanquam *genus logicum*, non metaphysicum, et ad inferiora contrahitur non compositione metaphysica, sed logica, vel ut Suarez notat, *expressiore conceptione eiusdem realitatis metaphysicae*. Suprema genera non differentiis propriis differunt, sed modis intrinsecis, qui vocantur *modi essentialis entis*, ut distinguantur a modis communibus (unum, verum, bonum). Operatio autem mentis, qua ratio entis a modis suis essentialibus praescinditur, vocatur praecisio formalis (obiective

<sup>1)</sup> „Alle Dinge sind an sich selbst widersprechend“, Log. p. 67.

inadaequata) et habet *fundamentum* in re, quia ens ex se indifferens est ad diversos modos constituendos. Est autem fundamentum *imperfectum*, quia ens non potest, sicut aliae rationes obiectivae, perfecte praescindi a modis suis, quum illos semper implicite, licet non formaliter includat.)

## § 2. De analogia rationis entis.

*Thesis V: Conceptus entis est analogus.*<sup>1)</sup>

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Conceptus possunt esse *aequivoci*, *univoci*, *analogi*. Sunt *aequivoci*, si solum vocem habent communem, non rem expressam, e. g. gallus significans incolas Galliae et avem. Sunt *univoci*, si id quod expriment, *eodem modo* inferioribus tribuitur; et haec univocatio est *metaphysica*, si eadem ratio, ab aliis rerum differentiis *mente praecisa*, perfecte eodem modo in inferioribus inest, e. g. animalitas in homine et brutis; est *physica*, si eadem ratio *simul cum differentiis* mente non praecisis in inferioribus invenitur, e. g. animalitas cum rationalitate coniuncta in individuis humanis.

Conceptus sunt *analogi*, si una ratio obiectiva in inferioribus partim eadem, partim diversa est; (et haec analogia item potest esse metaphysica vel physica, prout nota mente praecisa, vel non praecisa a differentiis partim eadem, partim diversa est in inferioribus. Sic sanitas de homine et cibo analogice praedicatur; ens de individuis physice analogice, de supremis generibus metaphysice analogice praedicatur. Unde praedicatio univoca supponit semper res perfecte similes, analogia imperfecte similes.)

2<sup>o</sup> Analogia iterum dividitur in analogiam *attributionis* et *proportionis*.<sup>2)</sup> Illa adest, quando ratio conceptu analogo expressa in uno analogato est per se et independenter, in alio autem dependenter a primo, sicut sanitas de medicina praedicatur, quia sanitatem homini confert.

Analogia autem *proportionis* adest, quando analogata in eodem tertio conveniunt, sicut risus de homine et de prato florente ratione effectus similis, quem homo ridens et pratum floribus ornatum in intuente producent, sc. laetum aspectum; lux de sole et veritate, quia ille mundum visibilem, haec mentem invisibilem illuminat.

3<sup>o</sup> Quaeritur igitur, utrum ratio entis univoce an analogice de inferioribus praedicetur. Patet autem, agi hic de conceptu entis reflexo, non directo, neque agi nisi de analogia *intrinsicca*. *Scotistae*, triplicem univocationem distinguunt: physicam, metaphysicam, logicam, rationi entis tribuebant logicam univocationem; *Thomistae*, negantes univocationem omnem entis, ipsi analogicam adscribunt uni-

1) Cfr. S. Thomam apud C. Alamannum, S. phil. III, p. 30 sq.; Aristoteles, metaph. III (IV) 2. 2) Cfr. Dialecticam, p. 22 sq.

versalitatem; sed potius verbis, quam re differre videntur, cum logica universalitas sit minima omnium et imperfecta. Statuimus igitur potius, rationem entis metaphysice analogam esse quoad suprema genera, et analogiam esse *attributionis* intrinsiccam pro ente a se et ab alio, per se et in alio, esse autem *proportionis* intrinsiccae in supremis accidentis generibus. Rationem entis esse physice analogam quoad res individuales, apud omnes constat.

4<sup>o</sup> Thesis confutat a) *Pantheistas* et *Formalistas*, qui rationem entis soli enti absoluto vere et formaliter tribuunt ac proinde physicam vel metaphysicam univocationem statuunt; unitatem rerum exaggerant, omnium realem identitatem supponentes. b) *Materialistas*, qui nihil praeter materiam atomisticam et motum mere extrinsecum (non accidens reale) admittentes, rationem entis, sicut omnes conceptus, mere aequivocam esse docere debent, quia omnem rerum unitatem et relationem realem destruunt ac simul etiam fundamentum conceptuum et principiorum universalium essendi et cognoscendi.)

### I. Ratio entis est metaphysice analogica.

*Prob.* (1. *Per exclusionem*: Ratio entis vel est aequivoca vel univoca vel analogica et quidem intrinsiccus vel extrinsecus analogica. *Atqui* a) non est pure aequivoca, quia res non solum quoad nomen, sed quoad realitatem conveniunt in ratione entis (th. I); secus Atomismus materialisticus et atheisticus statueretur; b) neque est physice univoca, quia ratio entis non existit formaliter a parte rei (th. II); secus pantheismus introduceretur; c) neque est metaphysice univoca, quia non perfecte praescindit a differentiis, neque proinde compositione metaphysica ad inferiora contrahitur (th. III), ne Formalismus statuatur; d) neque est analogica *extrinsecus*, quia ratio entis omnibus rebus vere et proprie inest. Ergo non restat nisi ut sit intrinsiccus analogica.)

2. *Ex natura entis transcendentis*: Illa ratio vere et intrinsiccus pluribus communis est metaphysice analogica, in qua formaliter sumpta inferiora et conveniunt et differunt; haec est enim definitio conceptus analogi. *Atqui* ens a se et ab alio, ens per se et in alio, suprema genera accidentis: a) *conveniunt* in ratione entis formaliter sumpta; sunt enim vere entia (th. I); b) *differunt* in ipsa ratione entis formaliter sumpta; nam differentiae: aseitas et abaleitas, perseitas et inaleitas, diversi modi inhaerentiae accidentium sunt ens aliquod, ita tamen, ut neque physica neque metaphysica compositione accedant ad rationem entis, sed ipsam intrinsiccus afficiant, in ea iam implicite lateant eamque proinde in se ipsa dividant. Ergo ratio entis est analogica.

(3. *Ex paritate*: Ratio entis est analoga, si differentiae alio modo ad ipsam accedunt, ac differentiae ad genus vel speciem e. g. rationale et irrationale ad animalitatem. *Atqui* alio modo accedunt et contrahunt rationem entis, siquidem nil addunt, quod sit extra rationem entis, differentiae autem rationale et irrationale addunt aliquid ad rationem animalitatis, quod est prorsus extra eius conceptum. *Ergo* ratio entis est analoga.

II. *Haec analogia entis est attributionis intrinsecae quoad ens a se et ab alio, ens per se et in alio.*

Analogia attributionis intrinseca in eo est, ut ratio conceptu expressa vere et formaliter sit in utroque analogato, in uno autem primarie et per se, in altero vero secundarie et per relationem ad primum. *Atqui* ratio entis a) in ente a se (in Deo) et ab alio, in ente per se et in alio vere, proprie et formaliter inest; b) est tamen in ente a se (i. e. in Deo) primarie, i. e. sicut in suo fonte et causa, infinite et independenter; in ente ab alio autem est secundarie, i. e. tanquam in effectu, finite et dependenter ab ente a se; deinde ratio entis *enti per se* (substantiae) ratione sui et tanquam subiecto competit, *enti in alio* autem ratione substantiae, in qua est. *Ergo* conceptus entis est analogus, estque analogia attributionis intrinseca.

III. *Quoad suprema genera accidentis analogia entis est proportionis intrinsecae.*

Analogia proportionis intrinseca in eo est, ut ratio obiectiva conceptu expressa sit quidem vere, proprie et formaliter in utroque analogato, ita tamen, ut ipsis tribuatur per communem respectum, quem habent ad idem tertium. *Atqui* ratio entis et quidem entis in alio, quod unum gradum metaphysicum cum ente constituit, a) omnibus generibus accidentium vere, proprie, formaliter est intrinseca, neque in ullo analogato est per relationem vel dependentiam respectu alterius; e. g. qualitas non est ens in alio propter vel per quantitatem; b) omnia genera accidentium sunt ens in alio propter relationem intrinsecam communem, quam habent ad substantiam. *Ergo* analogia entis in supremis generibus accidentium est proportionis intrinsecae.

*Scholion.* I. Quamquam analogia entis in ente a se et ab alio, in ente per se et in alio est attributionis intrinsecae, essentialis tamen est differentia inter utramque analogiam. Cum enim substantia affecta accidentibus semper sit ens ab alio, creatum, finitum, ens per se et in alio iam supponit ens a se, ac proinde analogia entis in substantia et accidente infinite distat ab analogia entis a se et ab alio. Unde quidquid de Deo et creaturis praedicatur, semper analogice praedicatur. Similiter quidquid de substantia et acci-

dente praedicatur, analogice praedicatur, e. g. spiritualitas de anima, intellectu et actu cognitionis.

II. Ratio entis potest considerari in ordine *ontologico* et *logico*. In ordine ontologico ratio metaphysica entis abstracta non est prior Deo, sed ratio prima obiectiva est ipsum Ens a se, i. e. Deus; sicut in ordine ontologico ratio prima entis per se est ipsa substantia. In ordine *logico divino* idem dicendum est; in ordine autem cognitionis *nostrae* ratio metaphysica entis abstracta est saltem natura prior, quam ratio entis a se vel per se, siquidem est obiectum formale ultimum cognitionis nostrae intellectualis (cfr. supra pag. 345).

*Difficultates contra I. thesim:*

*Obi.*: 1 Conceptus entis non est in se unus, quia non potest praescindere a differentiis, dist.: qua differentiis — nego; quatenus sunt entia, subd.: perfecte — conc.; imperfecte — nego.

2. Atque neque imperfecte praescindere potest, quia differentiae rationem entis intrinsecus afficiunt et immutant, dist.: si ens physice consideratur — conc.; si metaphysice, subd.: si adaequate et perfecte metaphysice consideratur ut genus metaphysicum — conc.; inadaequate et imperfecte ut genus logicum — nego.

Retorqueo: Differentiae: rationale et irrationale etiam animalitatem intrinsecus physice afficiunt et immutant, et tamen haec ab illis differt.

3. Atqui etiam ens rationis est ens, neque tamen in unum conceptum convenit, dist.: non conveniunt in unum conceptum proprium — conc.; neque in conceptum analogicum — nego. — Posset negari suppositum; neque enim agimus nisi de ente reali.

*Contra II. thesim:*

4. Atqui si conceptus entis unus est, erit physice unus; ergo redit difficultas et probo:

Quod conceptus entis ut sic exprimit, est ens reale. Atqui non exprimit nisi capacitatem existendi, nullas vero differentias. Ergo ens ut sic physice existit.

*Resp.* 1<sup>o</sup> Haec argumentatio si valeret, evinceret universalia omnia formaliter existere.

2<sup>o</sup> *Dist. mai.*: id quod exprimit, est ens reale — conc.; modus, quo exprimit, est realis — nego.

*Dist. min.*: p. I. non exprimit nisi capacitatem existendi, *negans* differentias — nego; praescindens ab ipsis, subd.: imperfecte — conc.; perfecte — nego.

*Dist.* p. II: Non exprimit differentias formaliter et explicite — conc.; neque eas implicite continet — nego.

5. Atqui „ens ut sic“ nullo modo continet differentias, quia possunt invicem separari, e. g. est ens, quod non est substantia, homo etc. dist.: potest esse ens sine certa differentia e. g. hominis (in sensu diviso) — conc.; potest esse ens sine ulla determinatione et differentia sine ratione entis (in sensu composito) — nego.

6. Atqui ens debet perfecte differentias ex se excludere; secus ens per idem in se ipso distingueretur, per quod est unum; dist.: per idem et sub eadem ratione — nego; per idem, sed sub diversa ratione sc. ratione differentiae. subd.: quin sit fundamentum in re — nego, ita ut sit fundamentum in re — conc.

*Contra III—V. thesim:*

7. Atqui si fundamentum distinctionis est in re, conceptus entis saltem metaphysice unus est; dist.: si est fundamentum perfectum — conc.; imperfectum — nego.

8. Atqui adest fundamentum perfectum distinctionis inter ens et suas determinationes; nam ens ad inferiora determinatur, sicut genus et species additis differentiis; dist. tanquam genus logicum — conc.; tanquam genus metaphysicum — nego.

9. Atqui contrahitur ad inferiora tanquam genus metaphysicum; nam praedicatur tanquam praedicatum essentiale de omnibus inferioribus, sicut genus et species; dist.: analogice — conc.; univoce — nego.

10. Atqui etiam univoce praedicatur; nam ens continetur, e. g. in substantia. Atqui [substantia] univoce de suis inferioribus praedicatur. Ergo etiam ens.

*Dist. mai.* Vel univoce vel analogice — conc.; semper univoce — nego.

*Dist. min.* De creatis substantiis — conc.; de Deo et creaturis — nego.

11. Atqui de omnibus univoce praedicatur; nam modi entis sunt perfecte extra comprehensionem entis ut sic, dist.: ut modi — conc.; ut entia quaedam — nego.

12. Atqui modi sunt perfecte metaphysice extra rationem entis; nam vel sunt realitates physicae vel metaphysicae vel entia rationis. Atqui neque sunt realitates physicae neque entia rationis. Ergo sunt realitates saltem metaphysicae.

Nego disiunctionem, et addo membrum omissum: vel sunt eadem realitas metaphysica entis, sed *alio modo* expressa.

13. Atqui alius modus expressionis non sufficit ad distinctionem inter ens eiusque modos; secus conceptus entis non esset in se unus, neque ad inferiora contrahi posset; dist.: non esset metaphysice unus, neque compositione metaphysica contrahi posset — conc.; non esset logice unus, neque logica compositione contraheretur — nego.

14. Atqui metaphysice contrahitur; nam ens ut ratio communis omnium rerum debet differentias omnes *praecedere*; dist.: ratio entis ontologice communis, ut Pantheistae volunt, deberet praecedere — conc.; logice communis, subd.: si adest perfecta praecisio — conc.; si adest imperfecta — nego.

15. Atqui debet adesse perfecta praecisio inter ens eiusque modos; alias intercederet analogia attributionis inter ens eiusque modos, ac proinde nulla creatura sine Deo, nullum accidens sine substantia cogitari posset; dist.: si analogia esset extrinseca, ut in sanitate respectu hominis et medicinae — conc.; quum sit intrinseca; subd.: non posset creatura *perfecte et adaequate* sine Deo concipi — conc.; neque imperfecte et inadaequate — nego.

Ratio enim entis omnibus rebus est intrinseca ac proinde possunt etiam in se ut entia concipi, licet non semper perfecta sit haec cognitio.)

## Appendix de ente rationis.

1. *Notio et natura:* Intellectus non solum potest ea concipere quae sunt, i. e. existunt vel esse possunt, sed saepe etiam eiusmodi obiecta concipit, quae neque in ordine physico neque metaphysico, esse possunt, e. g. nihil absolutum i. e. repugnantiam. Haec igitur obiecta mens concipit *ad modum* entis, cum nihil possit sibi repraesentare nisi sub ratione entis. Hae mentis conceptiones vocantur „*entia rationis*“; et sunt illa, quae *tantum obiective in mente existere possunt*. (Etenim triplici modo ens rationis considerari potest: a) *effective*, quod a mente producitur, e. g. exemplaria artis, species expressa; b) *inhaesive* et *subiective*, quod mentem afficit et informat, sicut accidens subiectum suum e. g. apprehensio, iudicium, scientia; c) *obiective*, quod a mente tanquam obiectum cognitum est. Hoc vero obiectum mentis potest esse tale, ut vel existat vel possit existere extra mentem, vel ut non possit existere nisi in mente et per mentem. Hoc igitur ultimum obiectum vocatur ens rationis, non vero ens rationis *effective*, vel *inhaesive*, vel *obiective* sensu priore acceptum; haec enim sunt entia realia vel physica vel saltem metaphysica. Ens rationis igitur *tantum in mente* existit, et per hoc differt ab omnibus obiectis ordinis physici vel metaphysici mente perceptis; deinde in mente *tantum obiective* existit, et per hoc differt ab actibus et habitibus mentis; denique in mente *tantum obiective* existere potest; et per hoc differt ab obiectis mere possibilibus.)

2. *Divisio entis rationis:* Ens rationis potest esse: a) *sine fundamento in re*, sicut chimaera, circulus quadratus; sed hoc ens rationis ne *obiective* quidem vere in mente existere potest, nisi ratione terminorum, non tanquam conceptus in se unus. b) Ens rationis *cum fundamento in re*. Hoc iterum dividitur in ens rationis 1<sup>o</sup> *negativum*, quod est negatio alicuius realitatis concepta tanquam ens reale; e. g. nihil, vacuum; quae negatio si in subiecto aliquo non apto concipitur, dicitur simplex carentia, e. g. lapis non videns; 2<sup>o</sup> *privativum*, quod est negatio realitatis debitae in subiecto apto concepta ad modum qualitatis, e. g. caecitas; 3<sup>o</sup> *relativum*, quod est relatio mere logica concepta per modum realis relationis, e. g. genus, species, distinctio rationis, subiectum, praedicatum, universalitas, conceptus formaliter consideratus etc.

3. (*Relatio entis rationis ad ordinem realem:* In ente rationis potest considerari ipsum *significatum* et *modus significationis*. Significatum potest in rerum natura existere proxime vel remote, non tamen formaliter i. e. *ut ens rationis*, neque ut realitas positiva, e. g. caecitas, vacuum, foramen, repugnantia. *Modus* vero significationis